

bentur in suffitibus pro excitandis mulieribus strangulatis, sive paroxysmū Uterinæ suffocatiōnis sustinentibus, item pro exsuscitandis Epilepticis. SANGUIS hirci est specificum HELMONTII in cura pleuritidis, sicuti etiam sanguis hirci specificè convenit in nephritide & calculi dolore, quem potenter pellit & promovet, atterit tam calculum renū quam etiam vesicæ: Convenit etiam in casu ab alto, vulneribus & contusionibus internè & sanguine congrumato: Modum colligendi hunc sanguinem (Nam in officinis ut plurimum est adulteratus) habemus in HELMONTIO Tr. Pleura furens: uti etiam in RIVERII praxi in cap. de pleuritide. Dum destillatur sanguis hirci, dat spiritum & ol. sicuti & aliorum animalium partes. Oleum ergo sanguinis hirci in podagra, membris contractis & dolentibus egregiè prodest. CARO hœdina prodest in acuendo visu. SÆVUM hircinum specificè usurpatur in Clysteribus antidyfentericis, dum potenter exulcerationes intestinorum purificat & consolidat, imprimis si dissolvatur in decocto vulnerario, & pro Clystere injiciatur: Cautela tamen cujusdam hic sunt observandæ. Si illinatur sævum hircinum umbilico, stranguriam brevi sedat & curat, quod certum est. LAC caprinum pro usu medico omnibus lactis reliquis speciebus præfertur, imprimis in cura scorbuti, uti & in cura podagra, imprimis si capra nutriatur herbis articularibus, podagræ curæ destinatis, tunc enim mirè commendatur, si hauriatur methodo dicta. Lac capræ pastæ purgantibus, purgat infantes per nutricem, si lac propinetur nutrici, & nutrix præbeat mammam infanti: Nam fit, ut exinde infans blandè moderatè & simul tamen egregiè purgetur. Omnibus præstat lac capræ propter copiam seri & Θ is vol. quoniā spirituosū & agile est animal, & hinc purum dat lac, quod minus præ lactis reliquis speciebus in se continet, mate caseosæ: Nam in lacte, quod minus est talis substantia caseosa, eò elegantius & efficacius est in cura morborum, quia omnes noxa à caseosa materia proveniunt. URINA hœdi est specificum antinephriticum, quod valdè urinam & calculum pellit, eundemque præservat. VESICA urinaria ad urine incontinentiam prodest certissimè. UNGULA capra vel etiam vesica, imprimis hæc in olla concremata sive combusta & ex posca sumpta, medetur iis qui noctu stragula permingunt, si assumatur sub ingressum lecti, iis qui ex consuetudine aut incuria idem faciunt.

**CAPREOLA seu Rupicara,
Die Gemse die in den Schweizer- und
Alpen-Gebürgen in Italien
hüpfen.**

Est ista species caprarum sylvestrium, quæ altissima montium ascendunt sine vertigine & sine ulla noxa. Medicinalia quæ subministrat, sunt quidem illa plurima, sed tamen rari usus. Cæterum in ventriculo harum rupicaprarum re-

peritur lapis, propter quem lapidem imprimis venantur, ut acquiri possit, & iste est medicinalis, vocaturq; aliàs ÆGAGROPILA, reperitur in ventriculo ipsius Damæ, sive sit prior, sive 2.3. vel 4. nam notum est, quod bruta ruminantia soleant habere 4. ventriculos. His lapis colligitur in stomacho ex remanentibus alimentorum non ritè digestorum, imprimis quando adest vel festuca vel frustulum ligni non digestibile, & circa hoc ceu basin coagulat se materia mucilaginosæ & viscidæ, quæ tandem beneficio acidi fermenti & plantarum coagulatur in lapidem, cujus signum est istud, quod reperiuntur instar pellicularum conglobatarum, ita ut appareant similes cepearum pelliculis, & una super alteram appareat, sicuti in cepis conspicitur. vid. de hoc BORELLVS Cent. I. obs. 5. p. m. 10. Quæ ratione generantur hi lapides, eadem generantur lapides in capris Indiæ tam orientalis quam occidentalis dicti BEZOAR, de quibus paulò post, nimirum beneficio fermenti acidi volatilis est substantia mucilaginosæ & residua in ventriculo. Et quidem omnes lapides qui reperiuntur in animalibus, in homine, in bobus &c. beneficio fermenti acidi coagulantur, & quidem etiam illi, qui fiunt in vesicula fellis, etiam ex acido exorbitante, quando sc. coagulat se in calculum beneficio alcali Θ ni in bile. Hæ Pilæ seu lapides, notum est, quod multi sunt usus in medicina. Queritur ergo, unde habeant suas virtutes? &c. Habent suas virtutes ex duplici fonte: virtutem præcipitantem & diaphoreticam ex Θ . Θ so: virtutem verò alexipharmacam vel specificam à plantis, quibus vescuntur, ex quarum residuo in ventriculis coagulantur isti lapilli. Unde etiam non omnes lapides, in quibuscunque animalibus reperiuntur, statim sunt alexipharmaci & bezoardici, sed obtinent hanc virtutem ex plantis & alimentis, quibus vescuntur. Unde cum rupicapræ vescuntur imprimis doronico & aliis alexipharmacis, lapides etiam sunt alexipharmaci & malignitati resistentes, imprimis cum hoc doronicum sit specificum contra vertiginem; & sic fit ex hoc etiam, ut & horum lapides habeant vim alexipharmacam & resistendi vertigini, quia ex doronici concremento nascuntur. Nam valdè resistunt vertigini virtute doronici, unde supra dixi, quod funambuli ascensuri funem, soleant se præmunire doronico, ne decendant, & risum spectatoribus moveant. Nam & ipsi Damæ ut sint securi à vertigine hoc doronico, se præmunire dicuntur, Epilepsia medetur. Præcipitat Massam sanguineam & partes præcipitatas per sudorem expellit: Aegræ parturientibus est singulare remedium, dum fatum & secundinas expellit: Defunctæ Principissæ Altenburgicæ aliquoties in difficili partu fuit propinatus pulvis lapid. rupicapræ cum successu. Differunt lapides magnitudine imprimis: raro ratione virtutis præcipitatoris & ratione virtutis alexipharmac. ex doronico, & ratione virtutis alexipharmacæ & sudoriferæ vocantur BEZOAR GERMANORUM: odorem habet jucundum, & pondere sunt leves. In
Dysenteria